ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: BEDA VENERABILIS. STERNBILDKATALOG. AUGUSTINUS

Zwettl, um 1200 Seite 38r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



aplus sol circumfert ortus initium faciens. complet in ea. quam ipse in maii
medio seruat. Tertium geminorum a parte signiferi. quam sol in medio maii.
Quartum cancri ab ea quam in medio lustrat iunii. facit principium ortus.
et ideo iuxta quosdam in octaua sua parte recipit solsticium. Iuxta uero solli
citiorem indaginem aliquot partibus prius in deflexo ad inferiora situ. ho
diaci. idem signiferi circuli. Quintum leonis signum a parte qua sol in me
dio iulii. Sextum uirginis ab ea qua in medio augusti. Septimum libre
ab ea qua in medio septembri circumagitur inchoat oriri. Qua propter et in
octaua sui parte iuxta uulgarem opinionem scilicet iuxta enucleatiorem sen
tentiam aliquanto prius locum autumpnali prebet equinoctio. hinc uergen
te ad brumalem honam signifero. Octauum scorpionis signum a parte quam
in medio octobri. Nonum sagittarii ab ea quam in medio nouembri. Deci
mum capricorni ab ea quam in medio decembri sol inhabitat caput
attollit et ideo ut uulgo creditur in octaua sua parte ut uero egyptus mater
artium docet aliquot partibus antea brumali solsticio dedicat mansio
nem dein reuerso ad altiora signiferi cursu circuli. Undecimum aquarii
sydus. a parte solari mediantis ianuarii. Duodecimum piscium ab eadem
parte februarii. uerticem erigens. in medio finit martii. ubi aries
subsequens ortus sui pandat initium. Siquidem omnia signa. et si non for
me figura regionum tamen suarum coniunctione et computandi sibi ratione
coherent. De quibus poeta. Idcirco certis dimensum partibus orbem. Et duode
na regit mundi sol aureus astra. Signifer autem lacteum circulum in sa
gittario recipit et geminis. Multa hinc dici poterant scilicet hec melius
a loquente quam a scribente fiunt. Sane quia de planetarum quarum
per signiferum circulum meatus est ordine et tempore supra memorauimus. tan
tum nunc dicamus quia sol cccc lx. v. diebus et vi. horis. luna uero xx. vii. di
ebus et viii. horis. hodiaci ambitum lustrant. singula uero signa. sol tri
cenis diebus et denis horis ac semisse. luna binis diebus et senis horis
ac bisse unius hore plabitur. Si autem queris bisse quid significet et in
principiis huius opusculi de calculis diximus et nunc breuiter repetimus.
Tantominus est bisse ab integra hora. quanto viii. a xii. xx. a xxx. x.

38